



~~Q/115~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

11-22.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA.

Qua
PRÆCIPUI
PONTIFICIORUM ERRORES
circà doctrinam

DE
SCRIPTURA SACRA,

ως ἐν Συρίῃ
ob oculos sistuntur, strictimque refutantur.

DEO clementer adjuvante,

PRÆSIDE

GODOFREDO HOFFMANNO,
SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. Ordin.

Ducalis Stipendii Theologici Superattendente, &
Ecclesiæ Tubingensis Decano,

Publica ventilationi exposita

Die 20. & 21. Febr. MDCCXXII.

RESPONDENTIBUS

M. THEOPH. FRIDERICO ROESLER, *Stuttgard.*

M. JO. PHILIPPO BRAUCH, *Aschensi.*

M. GEORG. FRIDERICO HOPFER, *Nicro-Aldingensi.*

SS. Theol. Stud. & Serenissimi Stipendiariis.

TUBINGÆ,

Literis JOSEPHI SIGMUNDI.





I. N. J.
DE SCRIPTURA SACRA.



Uanquam BELLARMINUS *L. IV. de Verbo Dei C. III.* acriter contendat, Romanenses longè majoris facere Scripturam, quam Lutheranos, experientia tamen testatur contrarium, nec dubitare nos finit, quin Pontificii reverà auctoritatem S. Codicis variis modis labefacēt, atque adeò circa ipsum fidei principium haud leviter errent: Dum scilicet

PRIMO, Libros Apocryphos eodem cum Canonicis censu ac loco habent, & de libro *Tobiae, Judith, Sapientia, Baruch* cum annexa *epistola Jeremiae, 1. & 2. Maccabaorum. septem posterioribus Capitibus Esther* (Germ. *Stück in Ester*) nec non additamentis ad *Danielem*, quæ in vulgata leguntur *Dan. III. XIII. & XIV.* (Germ. *Stück in Daniel*) oratione nimirum *Asariae, & Cantico trium puerorum. historiâ Susannæ, Belis & Draconis, ex decreto Concilii Tridentini sess. IV.* ita statuunt: *Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesiâ Catholica legi consueverunt, & in veteri Vulgatâ Latinâ editione habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit, anathema sit. Dum*

SECUNDO, Textum Hebraicum Ver. & Græcum Novi Testamenti corruptum esse clamitant.

A

TER

TERTIO. Vulgatam versionem Latinam pro authenticâ habent.

QUARTO. Laicos à lectione Scripturæ S. arcens; eamque

QUINTO. In rebus fidei & morum obscuritatis arguunt.

SEXTO. Genuinum Scripturæ sensum unice ab Ecclesia Romana petendum esse asserunt.

SEPTIMO. Scripturam sacram imperfectam esse, & propterea

OCTAVO. Traditiones non-scriptas pari pietatis affectu cum Verbo Dei scripto suscipiendas esse statuunt.

NONO. Autoritatem Scripturæ ab autoritate Ecclesiæ, & quidem Romanæ, pendere ajunt. Et

DECIMO. Spiritum S. in Scripturâ loquentem Judicem controversiarum esse præfractè negant.*

Jam verò, quod in his omnibus graviter errent Pontificii, sequentem in modum demonstramus.

DE CANONE SCRIPTURÆ S.

§ I.

PRIMO, quod concernit Canonem Scripturæ S. Libros supra enumeratos, de quibus inter nos & adversarios quaestio est, (reliquos enim ipsimet pro apocryphis habent, videlicet 3. & 4. Esdræ. 3. & 4. Maccab. & orationem Manassè, item Psalmum CLI. & Appendicem L. Job. **) non esse Canonicos, constat

I. Ex eo, quia non sunt scripti à Prophetis; *** neque linguâ

* Conferri hic omnino meretur Reverendissimi Dn. Cancellarii D. PFAEFFII Nöthiger Unterricht &c. Quaest. XII. p. 220, & Quaest. XXX. p. 570.

** De quibus vid. BELLARM. L. I. de V. D. C. IV. §. Tertius omno. p.

*** Quippe omnes scripti sunt post Malachiam, Prophetarum V. T. novissimum. Unde Genebrardus ad A. M. 3640. fatetur ipse, secundum Templum destitutum fuisse Spiritum sive afflatu sancto, qui

linguâ Prophetica, i. e. Ebræâ, vel saltem in hac non amplius extant. * Neque etiam

II. Vel ab Ecclesia Judaica, vel à primitivâ Christiana pro Canonicis recepti unquam aut habiti fuerunt, ** id quod ex
testi-

A 2

Prophetas olim corripiebat, additque, à Malachia ad Johannem Christi Baptistam nullos Prophetas extitisse.

* De libro enim *Syracidis* RIVETUS & alii nolunt inficias ire, quod primò Ebraicè fuerit conscriptus, sed cum nullibi hodie extet, ne quidem apud Judæos, firmiter exinde colligitur, eum ab Ecclesiâ Judaicâ, quæ Codice Ebræo usâ fuit, pro Canonico nunquam habitum fuisse. Pariter editio Chaldaica *Tobie*, quâ Hieronymus usus est, non amplius extat, & binæ Ebraicæ, quæ circumferuntur, admodum antiquæ non sunt; Græca vero & Latina vulgata multis in locis discrepant. Id autem apud omnes compertum est, libros illos, de quibus controversatur, paulatim irrepisse inter Hellenistas, & conjunctos fuisse cum versionibus Bibliorum, quæ apud illos variis temporibus obtinuerunt. Adeoque factam esse illam accessionem non in Ebræorum Ecclesiâ, sed apud Judæos dispersionis; quanquam nec hi libros illos pro verè Canonicis forte habuerint. Cum enim necessaria ipsis fuerit communicatio cum synagoga Hierosolymitanâ, in quâ sedes quasi erat religionis Judaicæ, certè credibile non est, voluisse illos, aliis non consultis aut contradicentibus, novum aliquem & sibi peculiarem Canonem constituere. Præsertim, cum Josephus Græcæ linguæ peritissimus, & cui satis noti fuerunt Judæorum omnium, etiam dispersorum, sensus & ritus, nullam exceptionem faciat, ubi de Canone Scripturæ agit.

** Jâ, verò quot & quinam libri, & quo præcisè idiomate ex immediatâ Spiritus sancti inspiratione sint conscripti, aliunde peti non potest, quàm ex testificatione Ecclesiæ illius, quæ scriptoribus sacris coævâ fuit, & quæ hos illosve libros ab hoc illove auctore Θεοπνευστω sub certo idiomate scriptos accepit, & quod eos accepit, seridè affirmat. Posteriorum autem temporum Ecclesiæ de horum illorumve librorum Θεοπνευστω testari non potest, nisi ipsa nitatur primitivæ Ecclesiæ testificatione. Et sanè, quod ad libros Canonicos V. T. attinet, non alio rectius, quàm veteris Ecclesiæ Judaicæ testimonio nitimur, quippe quæ singu-

testimoniis præcipuorum Ecclesiæ Doctorum per omnia secul^a usque ad Concilium Tridentinum, & vel maxime è Concilio Laodiceno circa A. Ch. 364. habito, & postmodum in Synodo sexta Constantinopolitana, quam Papa Hadrianus confirmavit, approbato, prolixè ostendit GERHARDUS & alii. * Et denique,

III. Quia multa libris extra controversiam Canonicis adversa, imò & aperte falsa & inconvenientia continent. Sic e. g. ut aliquod saltem hujus rei specimen demus, in libro *Tobia* habetur mendacium Angeli. C. V. 18. & C. XI. 3. Superstitio C. VI. 8. fabula C. XII. 15. 16. *irregodōzia* de elemosyna à peccato liberante C. IV. II. XII. 9. In libro *Judith* approbatur fœdigrorum immanis cædes. C. IX. 2. (contra Gen. XXXIV. 25. 30. C. XLIX. 5. 6.) Liber *Baruch* C. II. 7. pugnat cum Jerem. XIII. 6. & Thren. II. 6. & C. I. II. cum 2. Regum XXV. 27. Dan. V. 38. Liber *Sapientie* (quem post natum demum Christum à Philone scriptum fuisse *Lyranus* & *Bonaventura* statuunt) confundit Sapientiam hypostaticam cum Verbo Dei *προφορικῆ*, ac quædam

los libros à scriptoribus eorum accepit, & bonâ fide custoditos ad Ecclesiam Christianam transmisit. Unde nec Christus ipse, nec Apostoli alios libros Ecclesiæ N. T. commendârunt, quam quos Ecclesia Judaica pro Canonicis habuit Luc. XVI. 29. C. XXIV. 44. Act. XXVI. 22. C. XXIX. 23. Et *Melito* Sardenfis se idè in Orientem profectum esse ait, ut quot numero & quo ordine conscripti sint libri V. T. ibi disceret. Similiter *Origenes* Catalogum librorum V. T. traditurus provocat ad Ebraeorum traditiones. Et *Augustinus* aliquoties Canonem V. T. petere jubet à Judæis, quos eapropter Christianorum *librarios*, *Caprarios*, & *gentem scriiniariam* appellat, eò quod Codicem librorum Canonicorum V. T. ad nos fideliter transmiserunt.

* Hûc pertinet Synopsis testimoniorum Ecclesiæ ORIENTALIS & OCCIDENTALIS, quam SIMON EPISCOPIUS in *Instit. Theol.* exhibet, & quam nos dignam judicavimus, quæ ad calcem hujus Dissertationis apponatur, cum sit prolixior, quam ut commodè hoc quidem in loco inferi queat.

dam contraria habet Scripturæ S. C. XVII. 21. (conf. Exod. XVI. 31. Num. XI. 8.) C. XIX. 16. (conf. Exod. X. 23.) C. X. 15. &c. *Syracides* sapientiam hypostaticam creatam dicit C. XXIV. 14. falsoque eleemolynæ tribuit, quod peccatum extinguat, ut aqua ignem. C. III. 33. Ac Samueli adscribit, quod erat Diabolicæ illusionis. C. XLVI. 23. Errorẽ in super Judaicum de Elia Thesbite in has terras redituro inculcat. C. XLVIII. 10. Quid? quod auctor petat veniam sibi dari, si non commode verterit sententias Ebræas in Græcam Linguam, in *præfat.* Libri *Maccabæorum* ἀποχρηστικῶν commendant Eleazari & Razia v. L. I. C. VI. 12. 44. L. II. C. XIV. 42. 43. 46. &c. & sacrificia pro mortuis Judæ Maccab. L. II. C. XII. 43. Cujus (secundi libri) auctor etiam profiteretur, se in compendium redigere Libros V. Jasonis Cyrenæi. Cap. II. 24. conqueritur de operis difficultate v. 27. & excusat sese, si forte minus digne scripserit. C. XV. 39. 40. *Additamenta Danielis* pugnant cum vero Daniele, conf. Dan. VI. II. cum C. XIV. 30. &c. VI. 19. cum C. XIV. 30. & C. VI. I. cum C. XIII. 65. *Additamenta Esther* pugnant cum canonico libro Esther; conf. C. II. 16. cum C. XI. 2. & VI. 3. cum C. XII. 5. & C. V. 2. cum C. XIV. 10. C. III. 13. cum C. XII. 12. C. IX. I. cum C. XIII. 6. & C. VIII. 3. cum C. XIV. 14. &c. ut alia ἀόριστα, ἀόριστα, & historicæ veritati reclamantia taceamus. * Accedit, quod *Prologus Galeatus* HIERONYMI, in quo nostram de canone sententiam disertis verbis confirmat, omnibus Bibliorum editionibus latinis, quæ in Papatu imprimuntur, præponi solet; quare, cum vulgata Latina editio in Conc. Trid. pronuncietur

A 3

* Plura qui desiderat, evolvat è nostris GERHARDUM in LL. T. I. p. 67. seqq. B. OSIANDRUM in Theol. Acroam. p. 301. seqq. THUMMIUM in Disquis. de Verbo Dei. Et in Synopsi cum supplementis Pfaffianis p. 8. seqq. & plures alios. E Reformatis autem consulendi heic sunt vel maximè Jo. REINOLDI Angli, Academia Oxoniensis Prof. *Censura librorum Apocrypher* 177. Et Et. SPANHEMII Sen. oris Dup. P. II. p. 121. - 282.



tur authentica, æquum sane est, ut & hoc vulgatæ editionis pro-
oemium pro testimonio veritatis habeatur.

§. II.

Sed audiamus nunc adversariorum exceptiones & argu-
menta contraria. Nimirum,

EXCIPIUNT

1. Eo tempore, quo Patres nobiscum facientes vixerint, nondum fuisse Canonem publico Ecclesiæ judicio definitum.

2. Patres, qui controversos illos libros à Canone exclu-
dunt, loqui de Canone Ebræorum, non Christianorum.

3. *Genebrardus* in specie duplicem Judæorum canonem statuit, unum quidem vetustiorum, quem *Esdras* concinnaverit juxta numerum XXII. Literarum alphabeti hebraici; Alterum vero recentiorum à postremis Judæis, non multo tempore ante *Josephum*, in Synodo Hierosolymitanâ VII. compositum, in quo libri hi controversi contineantur.

4. Concilium Laodicenum non quidem recepisse controversos illos libros, sed nec repudiasse.

5. Concilium Carthaginense III. quod libros illos controversos in Canonem recepit, majoris esse autoritatis, quam Laodicenum, tum quia posterius, ita, ut hic quoque locum habere possit illud *Augustini*, Concilia priora emendari à posterioribus; tum, quia nationale fuerit Episcoporum XLIV. cum Laodicenum fuerit tantum provinciale Episcoporum XXII. & denique, quia confirmatum fuerit à *Leone IV.* Laodicenum verò non item. Verùm

RESPONDETUR

Ad 1. *Exceptionem*, ipsos Pontificios malam suam causam prodere per hoc, quod non consentiunt inter se, quo tempore Canon Scripturæ Sacræ sit definitus, dum *BECANUS* quidem tempore *Innocentii Sec. V.* *BARONIUS* in Conc. Nicæno I. sub initium *Sec. IV.* habito; Plerique vero in Concilio Carthaginensi

nenſi ſub finem Sec. IV. habito id ipſum factum eſſe contendunt. At nullum eſt dubium, quin Eccleſia antiqua, quo propior fuit temporibus Apoſtolorum, eò certior quoque fuerit de Canone Scripturæ; Aliàs, ſi Patrum tempore Canon nondum fuiſſet definitus, ſequeretur, quod neque Eccleſia Judaica ante adventum Chriſti, neque Apoſtolica & primitiva poſt adventum Chriſti, certum & definitum habuerit Canonem, adeoque circa ipſum fidei principium, rem utique graviffimi momenti, dubia vacillarit. Id quod oppidò abſurdum, & ipſi quoque adverſariorum hypotheſi de infallibilitate Eccleſiæ adverſum eſt.*

Ad II.

* Optimè RIVETUS in *Iſag. ad Script. S.* Si verum eſt, quod Becanus ait, quod primus, qui legitime definiſit, quinam Libri pro Canonicis habendi ſint, vel non, fuerit Innocentius Papa, qui vixit ad A. C. 402. Eccleſia Chriſtiana ſine certo Canone fuit per 400. annos, ut toto illo tempore mira fuerit Pontificum Romanorum oſcitantia, qui tam diu Eccleſiam in dubio reliquerunt, cum tamen uno verbo potuiſſent totam litem dirimere, ſi eà auctoritate præditi fuiſſent, quam gnathones Antichriſtiana Sedis noſtro hoc tempore Pontificibus arrogant. Hic certe aqua hæret Adverſariis, ſi unquam aliàs, cum in hac controverſia ſuum ipſorum principium aut unicum, aut certe præcipuum, deſerant, & abjiciant. Urgent aliàs ſemper traditionem ab ipſis Apoſtolis derivatam, præſertim in librorum divinatorum conſignatione, nec aliam agnoſcunt rationem, qua libri vere Canonici ab aliis diſcerni poſſint, quam ſi oſtendatur eorum auctoritas, Apoſtolorum confirmata temporibus, per ſucceſſiones Epiſcoporum & propagationes Eccleſiarum, tanquam in ſede quadam ſublimes conſtituta, ut Auguſt. loquitur, *contra Fauſtum lib. II. cap. 5.* Neque nos viam illam rejicimus, eſti alias etiam agnoſcamus. Jam verò, ſi acceptata conditione petamus, ut proferant traditionem illam pro libris controverſis, & nos per varias ſucceſſiones ad Apoſtolos uſque deducant, præcæ Eccleſiæ non Judæorum tantum, ſed etiam Chriſtianorum teſtimonia proferant, quatuor priora purioris Antiquitatis ſecula vacua relinquunt, nec oſtendere poſſunt, quòd in ulla Chriſtianorum Eccleſia, ne quidem Romana excepta, libri controverſi pro Canonicis fuerint habiti. Sed ajunt, fuiſſe etiam nonnullos libros Nov. Teſtam. dubios, nempe Epiſtolam

Ad 2. *Exceptionem* R. Ipsius Bellarmini iudicio Patribus, & in specie Hieronymo, sermonem esse non solum de Canonibus Judæorum, sed & Christianorum. * Neque nos alium Canonem V. T. agnoscimus, quam qui Hebræorum fuit, quippe quibus credita sunt τὰ λόγια τῶ θεῶ. Rom. III. 2. *

Ad

ad Ebræos, Epistolam Jacobi, Epistolam posteriorem Petri, secundam & tertiam Johannis, Epistolam Judæ, & Apocalypsin; qui, si tandem auctoritatem obtinuerint per Ecclesiæ succedentis iudicium, nulla videatur ratio impedire, quo minus suo etiam iudicio poterit eandem conferre Libris Testamenti Veteris, quibus olim contradicendum fuit. *Respondet*, longè aliam esse rationem Librorum Ver. & Novi Testamenti in hac causa. Nam Libri V. T. respectu Christianæ Ecclesiæ, non per vices, temporis successu & per partes Ecclesiæ dati fuerunt; sed uno & eodem tempore, libros omnes ad illud pertinentes, in uno codice descriptos, ab Ecclesia Judaica Christiani acceperunt, postquam antè aliquot secula, auctoritatis fuissent indubitata, & extra controversiam posita, ab ipso Christo etiam & Apostolis confirmata. Libri autem N. T. per partes, variis temporibus & locis editi fuerunt, & paulatim in unum corpus collecti. Hinc factum est, ut libri nonnulli posteriores, qui tardius quibusdam Ecclesiis in manus venerant, præsertim in locis remotis, apud nonnullos habiti fuerint dubii; donec, informatione facta, eorum *αὐθεντία* omnibus innotesceret, id quod paulatim factum est, postquam cessantibus persecutionum procellis, Christianæ Ecclesiæ potuerunt inter se communicare, & quæ initio noverant scriptorum illorum *αὐθεντία*, omnibus aliis eandem testari.

* Vid. L. I. de Verbo Dei C. X. circa finem §. *respondent aliqui* p. m. 40.
 ** GRETSERUS, ut argumentum de oraculis DEI Judaicæ Ecclesiæ conceditis firmissimum eluderet, eo tandem devenit, ut diceret: non tantum Judæis concreditos fuisse libros, qui sunt in Canone, sed etiam alios extra Canonem suum. *Defens. Bellarm. C. VII. L. I.* Ac proinde minorem argumenti esse, falsam. Addit autem rationem egregiam, cur vetus Ecclesia illos libros non receperit in Canonem, quam, *inquirit*, aliam non invenio, quam quia Deus Canonicam horum librorum auctoritatem nondum revelaverat, sicut postea revelavit Ecclesiæ Christianæ. Sed *αὐθεντία* hæc sunt, concedere alicui Ecclesiæ li-

Ad 3. Except. 12. Recenciozem utum Genebrardi Canonem recens inventum ac spurium esse, vel ex eo patet, quia in eo continentur tertius & quartus liber Eſdrae, quos tamen ipsum Concilium Tridentinum pro Canonicis non habuit.

Ad 4. Except. 13. Librum aliquem in Canonem non recipere, & à Canone excludere, procul dubio sunt *ισοδυναμιστα*.
Denique

Ad 5. Except. 14. 1. Eo ipso, quia Concilium Laodicenum antiquius & temporibus Apostolorum propius est, majoris quoque autoritatis esse debet; Quemadmodum & alias Bel-
B larmi-

brum Canonicam, nec tamen eidem revelare, quod sit canonicus, & quod pro regula ac norma fidei & morum haberi debeat. Et qua ratio fuit, cur DEUS autoritatem Canonicam horum librorum Christianæ demum Ecclesiæ revelarit, & non Judaicæ, cui tamen instar depositi fideliter custodiendi eos concedidisse dicitur?

* Hinc Jesuita GRETSERUS sibi non displicere ait contrariam sententiam, Sebastiani cujusdam HESSII, iridem Jesuitæ, qui concessa nobis hac majore, quod *Judæi non receperunt, illud rejecerunt*, minorem negat, quod Judæi non receperint libros illos controversos, idque a nobis probari ac demonstrari non posse contendit. At non videt Jesuita probationem non à negante, sed ab affirmante requiri. Negamus nos, fuisse à Judæis admissos pro canonicis libros controversos. Affirmat contra Jesuita, veterem illam Synagogam illos admisisse. Affirmanti autem incumbit probatio; at ne unum quidem affert testimonium. Nos autem, quamvis simplici negatione contenti esse possemus, afferimus nubem testium, Josephum Judæum, Melitonenem, Origenem, Hilarium, Hieronymum, & alios Christianos plures. Id cum nesciret Huslius Gretseri, frontem perficit, & ne aliquid ad summam impudentiam deesset, affirmare non veritus fuit, bonos illos Patres, qui à Judæis sui temporis, ut vult ille, didicerant libros illos esse extra Canonem, delusos fuisse ab istis infidelibus. Quasi verò tota Ecclesiæ Christiana in hoc gravissimo negotio unius saltem vel alterius impostoris, & non potius totius Ecclesiæ Judaicæ testimonio fidem habuisset.

larminus agnoscit, in quæstionibus ad fidem pertinentibus Concilia priora præferenda esse posterioribus. 2. Idem Pontifex Leo, qui Carthaginense Concil. confirmavit, eodem in loco confirmavit quoque Laodicenum, apud Gratianum *C. de libellis dist. 20.* quanquam auctoritas Conciliorum non pendeat à confirmatione Pontificum Rom. 3. Regula Augustini, interprete ipso Bellarmino *L. II. de Concil. C. 7. p. m. 88.* intelligi debet, vel de Conciliis **illegitimis**, quale Laodicenum non fuit, vel de quæstionibus facti, non juris, qualis est præsens quæstio de auctoritate Canonica librorum biblicorum. Denique Canon ille Concilii Carthag. XLVII. quem nobis opponunt Pontificii, non est certæ ac indubitatæ auctoritatis, prout ipsimet Pontificii Conciliorum editores id agnoscunt. Quicquid vero horum sit, non opusest, ut Concilia hæc sibi invicem opponantur, cum Carthaginense loquatur de Canone *Ecclesiastico*, i. e. de libris ea duntaxat ratione receptis, ut ad morum ædificationem in Ecclesia publice legerentur, quo sensu etiam III. & IV. Librum Esdræ, quos ipsi saniores Pontificii pro apocryphis habent, inter Canonicos refert. Laodicenum autem loquitur de Canone *divino* stricte sic dicto, id est, de libris, quorum auctoritas ad confirmanda fidei dogmata infallibilis est & authentica, quam distinctionem nobis suppeditat *Thomas de Vio* CAIETANUS, Cardinalis Ecclesiæ Romanæ.*

§. III.

* *In fine Commentarii sui in Histor. V. T.* Ubi expresse ait: Reliqui libri, videlicet Judith, Tobia & Maccabæorum à Divo Hieronymo extra Canonicos libros supputantur, & inter Apocrypha locantur, cum Sapientia & Ecclesiastico, ut patet in prologo *galeato*. Nec turberis novitie, si alicubi reperies libros istos inter Canonicos supputari, vel in sacris Conciliis, vel in sacris Doctoribus. Nam ad Hieronymi limam reducenda sunt tam verba Conciliorum, quam Doctorum. Et juxta illius sententiam ad *Chromatium* & *Heliodorum* Episcopos, libri isti (& si qui alii sunt in Canone similes) non sunt Canonici, i. e. non sunt regulares ad firmendam ea, quæ sunt fidei: possunt tamen dici Canonici, id est, regu-

ARGUMENTA CONTRARIA

quæ à Pontificiis hac in re proferuntur, valde infirma sunt, & huc fere redeunt :

1. Patres etiam antiquissimos controversos istos libros vocare sacros, divinos & Canonicos. Modo enim diximus, Canonicum librum appellari duplici sensu, ubi prior quidem locum hic habet, sed non posterior. Quam distinctionem ipse quoque Bellarminus admittit, ubi de decretis Pontificum ait, quòd & ipsa *Scriptura Sacra & Canonica* suo modo appellari queant.

2. Patres controversos istos libros allegare ait Bellarminus. Verum ex nuda allegatione Patrum Canonicam alicujus libri auctoritatem præbæri non posse, per se liquet.

3. In controversis illis libris quosdam fidei articulos egregie confirmari contendit idem Bellarminus. Verum nec hoc sufficit; Quemadmodum nec

4. Ad evincendam canonicam eorum auctoritatem idoneum argumentum desumi potest ex eo, quia libri illi controversi publicè olim in Ecclesia lecti fuerunt, quod rursus Bellarminus urget. Nam & nos legimus in nostrâ Ecclesiâ, nec tamen ea propter pro Canonicis eos habemus. Neque verò omnem libris istis utilitatem qualemcunque, sed Canonicam saltem auctoritatem denegamus. Quando autem

5. Testimonium Augustini à Bellarmino & aliis hanc in rem allegatur, qui in *L. II. de Doctrina Christiana C. IIX.* controversos hos libros vocat canonicos & inter ἀγιόγραφα refert, idem significatus hujus vocis generalior & latior quoque hic obtinet, qui in

B 2

Con-

lares ad edificationem fidelium, utpote in Canonem Biblicum ad hoc recepti & auctorati. Cum hac distinctione discernere poteris dicta Augustini, & scripta in *provinciali Concilio Carthaginiensi.*

Concilio Carthaginensi, cui & ipse Augustinus interfuit & subscripsit.*

DE PURITATE FONTIUM.

§. 1.

SECUNDO. Textum Hebræum V. T. Judæorum sive incuria sive malitia; Græcum autem N. T. hæreticorum perfidia & astutia corruptum esse Adversarii statuunt, id quod falsum esse comprobatur

I. Quidem argumento Generali desumpto à *Providentiâ divina*, quæ certè nequiquam permittit fundamentum illud Prophetarum

* Cæterùm notari hic mereantur, quæ RIVETUS in *Isag. ad Script. S. c. 7. §. 37.* de sententia Augustini & ipsius Concilii Carthag. tradit, scilicet quod PP. hujus Concilii hallucinati fuerint in hoc negotio: *Ad nos, inquit, quod attinet, qui videmus causam hallucinationis Augustini & Carthaginensium, nihil est, quod nos avertere debeat, ab antiquitatis maximo consensu, ut paucos sequamur in errorem per occasionem lapsos. Hic autem fons hallucinationis fuit. Invaluerat enim autoritas & opinio LXX. Interpretum, quibus additi fuerant Africani, ut ex Augustini disputatione cum Hieronymo patet. In exemplaribus LXX. tam Græcis, quam Latinis ex Græco expressis, habebantur indiscriminatim libri, de quibus controvertitur, una cum aliis, qui in exemplaribus Hebraicis solè reperiebantur sine illis adjectionibus. Cum ergo Augustinus uteretur illis codicibus, in eam delapsus est sententiam, quando quidem editio illa erat communis, etiam esse communem Ecclesia sententiam, omnes libros illos, etiam si apud Hebræos non extarent, in Ecclesia tamen esse Canonicos. Sed sententia illa non diu hæsit in animis eorum qui subsequuti sunt: Nam postquam Hieronymi versio ex Hebræo in Ecclesia recepta fuit, & prior illa communis ex LXX. expressa cessit novæ, evanuit opinio Augustini & Carthaginensium, quæ ex priori illa editione invaluerat, & sententia Hieronymi Canonis Hebræo consentiens, una cum illius versione fuit stabilita.*

tarum & Apostolorum corrumpi. Quod si enim Deus eo sine non solum in V. sed & in N. T. verbum suum revelavit, illudque in literas redigi voluit, ut esset perpetua norma ac regula Ecclesiae in rebus fidei & morum, nulla certe veri specie dici potest, quod permiserit illud corrumpi, aut vel non voluerit, vel non potuerit illud ipsum servare integrum atque incorruptum.

II. Quod in specie libros V. T. attinet, Judaei neque *voluerunt* neque *potuerunt* fontes Ebraeos corrumpere; Quod non *voluerunt*, patet exinde, quia incredibilis semper fuit ipsorum erga libros sacros religio, & quia praecipua de Christo testimonia adhuc hodie integra supersunt, eodemque modo leguntur, quo à Christo & Apostolis olim allegata sunt, ut proinde nulla suspicio esse queat, Judaeos textum corrupisse post tempora Christi & Apostolorum; Quod vero antea id factum non sit, ex eo manifestum est, quia Christus auditores suos ad Scripturam scrutandam remisit. Joh. V. 39. coll. Matth. XXIII. 2. & Apostolus Rom. III. 2. fidem Judaeorum in custodiendis eloquiis divinis commendat. Posteriori vero, quod nec *potuerint* corrumpere, probat exemplarium seu codicum multitudo, eorumque per totum terrarum orbem dispersio. Ut de variis versionibus non dicamus, quarum beneficio corruptio, si qua facta fuisset, statim deprehendi potuisset.

III. Textum Graecum N. T. corruptum non esse, probat Ecclesiae primitivae in asserenda Scripturae S. veritate fidelitas; Accepit enim ea *αὐτόγραφα* ab ipsis Evangelistis & Apostolis, eademque in Ecclesiis Patriarchalibus velut sanctum depositum fideliter conservavit, ut juxta illorum tenorem de apographis iudicium ferri posset. Quemadmodum & de Doctorum Ecclesiae in praecavendis haereticorum corruptelis & fraudibus sedulitate ac vigilantia, constat exemplo EPIRHANII, qui diligen-

ter annotavit ea, quæ *Marcion* ex N. T. libris auferre conatus fuit; Quod ipsum quoque de Arianis & aliis hæreticis constat.

§. II.

Quæ in contrarium heic adducuntur à Pontificiis, corruptionem textus universalem minime probant, sed *variantes* tantum *lectiones* * dari ostendunt, quod nemo negat. Quare operæ pretium non est, ut ad exempla specialia, quæ ipsi contra integritatem textus puritatemque fontium proferre solent, hic descendamus.

DE VERSIONE VULGATA.

§. I.

TERTIO. Versionem Vulgatam non esse in sublimi auctoritatis authenticæ fastigium collocandam, prout quidem definit Concil. Trid. Sess. IV. vel ex ipsis terminis clarum est: Omne enim instrumentum publicum in ea duntaxat lingua authenticum est, in qua originaliter scriptum fuit. Jam vero

* De quibus B. OSIANDER in *Theol. Acroam.* p. 322. Censemus, ait, illam varietatem non arguere corruptionem textus sacri, cum quædam ita sint comparata, ut utraque lectio sine ullâ sensus jacturâ commode retineri, & in textus explicatione conjungi possit; quædam ita, ut una alteri ob institutam *heteriam* & discretionem præferenda sit, licet neutra fidei analogiæ repugnet; quædam vero ita, ut una retinenda, & altera, quæ vanitatis coarguitur, rejicienda, pleræque etiam, ut irrepentes ex oscitantia Scribarum studio & operâ *Complutensium*, *Erasmii*, *Roberti Stephani*, *Bezae*, & aliorum fuerint restitutæ. Nec desunt adjuvicula, quibus in genuinæ lectionis veritatem possumus devenire, qualia sunt *Exemplarium antiquorum* & probatorum fides, *Doctorum veterum allegatio* & *expositio*, *Scripturæ conformitas* & analogia, *variæ paraphrasæ* & *versiones*. Conf. omnino Jo. MILLII *Prolegom. N. T.* & Reverendiss. Dn Cancellarii nostri D. PRAEFII *Dissertatio Critica de genuinis librorum N. T. lectionibus*, quam edidit Amstelodami A. 1709. ubi & de *Joannis Millii Collectio- ne Variarum N. T. lectionum* modeste differitur. p. 112, 199.

vero Codex facer tanquam instrumentum publicum ipsius Dei
 autoritate, jussu & mandato originaliter scriptus fuit in lingua
 Ebræa & Græca, non Latina; Quod si vero per authenticum
 intelligant Pontificii vel id, quod originali ad faciendam fi-
 dem æquale est, vel quod textus originalis fidelem interpre-
 tationem continet, neque hoc sensu pro authentica haberi po-
 test versio vulgata, quippe quæ sphalmata habet quam pluri-
 ma fontibus quandoque directe contraria; Id quod prolixè
 docet CALOVIVS in *Critica s. à fol. 568. usque ad 642.* & alii.
 Deinde notum est, quod post Pauli III. Pontificis mortem emen-
 datio Vulg. versionis à successoribus ejus Pio IV. & V. Grego-
 rio XIII. Sixto V. Innocentio IX. & Clemente II. Viris eru-
 ditis demandata fuerit; qua ratione igitur Synodus Tridenti-
 na sub Paulo III. habita eam nondum emendatam authenticam
 pronunciare potuerit, non liquet. Quid? quod *Franc. Lucas
 Brugensis* in Vulgata, toties licet Pontificaliter correctâ, adhuc
 4376. errata deprehenderit, quorum Catalogus extat in Bibliis
Arie Montani Edit. Lips. ut proinde nihil impudentius cogitari
 possit, quam versionem adeo mendosam pro authentica vendi-
 tare & Ecclesiæ obrudere velle.

§. II.

Equidem circa interpretationem Canonis Concilii Tri-
 dentini, quo versio Vulgata pro authentica declarata fuit,
 Pontificii DD. non unâ eademque viâ incedunt. Qui-
 dam enim id factum fuisse dicunt, saltem ideo, quia in
 rebus ad fidem & mores pertinentibus nullum contineat
 errorem; non quasi singula illius verba, distinctiones &c.
 sint de fide tenenda. In quâ sententia fuit ante Concilium Tri-
 dentinum *Sixtus Senensis, Driedo* & alii. In ipso autem Concilio
 Tridentino *Andreas Vega*, qui ei interfuit, illudque defendit
 postea & explicavit, hanc sententiam professus est. Et *Jo.
 Mariana* in *Tract. de Versione Vulgata* in terminis ait: Non fuisse
 pro-

propositum Tridentinis, eam in minimis, etiam quæ ad fidem & mores non pertinent, comprobare, sed authenticam declarasse, hoc est, plenam autoritatis certæ, quoniam nihil continet, quod quidem ad mores & religionem spectat, depravatum, & quod non minoris sit autoritatis, quam ipsi fontes, quando cum his convenit. Quando autem, *addit*, ab his discrepat, incuria aut errore Interpretis, excusanda est, atque ex fontibus, ubi opus erit, præsertim Ecclesiæ Catholicæ iudicio, castiganda. Sed hæc libertas Marianæ displicuit Inquisitoribus Hispanis, qui expunxerunt ex illo tractatu inter multa alia præsertim etiam conditionem illam convenientiæ cum fontibus, & castigationis ex iisdem. Quapropter alii Vulgatam absolute & simpliciter pro authentica habendam esse contendunt, ita quidem, ut non solum nullum contra fidem errorem contineat, sed & in omnibus suis partibus, quantumvis minimis, non minoris autoritatis sit, quam ipse textus originalis, etiam quando ab Ebræo nunc existente dissentit; quod quam falsum, imo & absurdum & contradictorium sit, quilibet vel ipsis manibus palpare potest.

§. III.

De autore Vulgatæ ipsi DD. Pontificii inter sese digladiantur. Quidam enim simpliciter Hieronymo eam tribuunt; Alii vero ex duabus, veteri scilicet Itala & LXX. virali translata, ab Hieronymo autem castigatam esse tradunt; Bellarminus vero censet, eam non esse unius auctoris, sed quædam habere ex Hieronymo, quædam ex Luciano Martyre, quædam ex Theodotione, quædam denique ex alio interprete anonymo.* Quo ipso sane argumentum ab auctoritate Hieronymi desumptum per se corrui. Vera autem & genuina ratio, quare eam pro authentica haberi velint Pontificii, est communis illa linguarum Orientalium ignorantia, quæ tempore reformationis apud om-

* Vid. Lib. II. d. V. C. c. IX. p. 18. 107.

nes fere Doctores Pontificios deprehendebatur, & receptus in Ecclesia Rom. per tot secula vulgatæ versionis usus, à quo recedere admodum grave visum fuit Tridentinis. *

DE LECTIONE SCRIPTURÆ S.

§. I.

QUARTO. In Veteri ævo exempla eorum, qui fidelibus Laicis lectionem Scripturæ S. interdicere ausi fuerint, vix invenias. Quamquam enim hæretici antiquiores, quemadmodum Scripturæ lucem ipsi fugiebant, ita eandem aliis cuperent ereptam; non tamen aperte alios, & Laicos quidem unice, à lectione Scripturarum arcere voluerunt. Pontificii verò, præsertim cum lux Evangelii, Lutheri ministerio, ex Scriptura hominibus illucesceret, modis omnibus conati fuerunt, Laicos quoscunque à lectione Scripturæ prorsus excludere. Nempe his non satis fuerat, sepositâ & occultatâ genuinâ Evangelii doctrinâ, varia humani ingenii figmenta, quasi revera Dei verbum essent, miseris mortalibus proposuisse, mentesque eorum diu delusisse; Sed, postquam Deus doctrinam sinceram denuò in lucem produci, atque è Verbo suo scripto publicè prædicari voluit; Curia Romana, cum doctrinam ipsam corruptelis suis inimicam atque adversam ex hominum oculis animisque ablatam vellet, non aliam vidit commodiorem ad scopum suum obtinendum viam, quam si Scripturam ipsam, doctrinæ sincerioris principium, suppressere, & homines maxime plebejos ab ejus lectione arcere posset. Itaque primùm in Biblia, prout à Luthero Germanicè versa extabant, sævitum, & ne imprimerentur, venderentur, emerentur ac legerentur, prohibitum fuit; Cumque id minus felici successu tentatum esset, ac novæ subinde versiones aliæ ex errorum operâ concinnatæ

C

cinnatæ

* Conf. opinio SCHERZERI Anti-Bellarm. p. 107. 199.

cinnatæ prodirent; Ideo de auferendis omnibus Scripturarum in linguas vulgares translationibus consilium inicum fuit, & in catalogo hæreticorum, Romæ publicato generaliter prohibita sunt Biblia omnia vulgari idiomate, Germanico, Gallico, Hispanico, Italico, Anglico sive Flandrico &c. conscripta, ut nullatenus vel imprimi, vel legi, vel teneri possint absque licentiâ S. Rom. Inquisitionis. Eamque legem, quinquennio elapso, repetiit Pius IV. in Indice Tridentino librorum prohibitorum. Mox longius progressa est hominum audacia, ac præter Scripturarum codices integros, singula etiam N. ac V. T. partes, quavis lingua vulgari editæ, nec minus summaria aut compendia historica Scriptura S. quocumque vulgari idiomate conscripta, à Clemente VIII. sunt prohibita; Imò & ipsi quoque Episcopis & Inquisitoribus adempta est facultas in eo negotio dispensandi, & lectionem Scripturæ aut quarumcunque partium ejus certis personis permitendi. Quæ quidem omnia distinctè exponit, ac simul genuinam horum consiliorum causam, refutatis Pontificiorum falsis prætextibus, ostendit D. JO. MUSÆUS.*

§. II.

Jam verò Laicos à lectione Scripturæ S. arcendos non esse, sed ad eam potius omni modo invitandos, patet

I. Ex fine & scopo Scripturæ S. quia Prophetæ & Apostoli, sicuti in usum omnium verbum Dei prædicarunt, ita quoque in usum omnium idem literis consignarunt, eo fine, ut ex eo ad vitam æternam erudiremur. Joh. V. 39. 2. Tim. III. 15. qui finis communis est, & ad omnes promiscuè homines pertinet.

II. Ex præcepto Dei catholico sine ulla exceptione generaliter ad omnes Deut. VI. 8. XXXI. 11. 12. Esai. XXXIV. 16. Joh. V. 39.*
Col.

* in Pref. Tract. de Convers. præmissa p. 15. seqq. ad pag. 32.

** In h. l. ἐπεὶ τὸ ἰμπεριῶδες ἐστὶν ἰuxta Athanasium, Augustinum, Chrysostomum & plures alios. Si enim esset indicativus, Christus videretur cæco Judæorum vulgo, traditionibus magis quam Scripturis

Col. III. 16. IV. 16. Speciatim verò ad Reges & Principes directo. Deut. XVII. 18. Jos. I. 8.

III. Ex laudatâ fidelium *praxi* Act. VIII. 28. 30. XVII. 11. I. Thes. V. 27. Apoc. I. 3. Cui & *Paraneses* Veterum adjungimus, quibus lectionem Scripturæ omnibus promiscuè fidelibus enixè commendarunt. Ita ORIGENES *Homil. II. in Esaiam. Utinam*, inquit, *omnes faceremus illud, quod scriptum est: Scrutamini Scripturas.* CHRYSOSTOMUS his inter alia verbis utitur: *Id semper hortor, & hortari non desinam, ut non hic tantum in templo attendatis iis, quæ dicuntur; verum etiam, cum domi fueritis, assidua Scripturarum divinarum lectioni vacetis. Quod quidem & iis, qui privatim mecum congressi sunt, non destiti inculcare. Ne quis enim mihi dixerit: Sunt frigida illa verba, multa iis insunt, quæ contemni debeant. Ego forensibus causis affixus sum, publica gero negotia, artificium exerceo, uxorem habeo, alio liberos, familiæ curam gero, mundanus homo sum, non est meum legere scripturas, sed eorum, qui mundo dixerunt vale, qui montium vertices occuparunt, qui vitam ejusmodi continenter agunt. Quid ais homo? Non est tui negotii scripturas evolvere, quoniam innumeris curis distraheris? Imò tuum magis est quam illorum. Neque enim illi perinde egent scripturarum presidio atque vos in mediis negotiorum undis jactati &c.* Chryostomum plane imitatur CÆSARIUS ARELATENSIS *Homil.*

C 2

XX.

inhianti v. 30. tribuere, quod alibi ab ipsis neglectum queritur. v. 38. 44. 46. 47. Imò si ἐπεινῆτε esset indicativus, æque ac ἐξere v. 38. & θέλετε v. 40. sine dubio his per conjunctionem καὶ esset innexus. Esto autem, sit indicativus, ut volunt *Cyillus, Brentius & E. Schmidius*, Scripturæ lectio tamen eo ipso non prohibetur, sed laudatur potius in Judæis promiscuè, ad quos sermonem Christi in toto hoc capite directum fuisse ex omnibus circumstantiis liquet.

XX. de curâ animæ, ubi populum ita alloquitur : Vos ergo fratres rogo & admonéo, ut quicumque literas scitis, scripturam divinam frequentius relegatis : qui vero non scitis, quando alii legunt, audiat, & quidem auribus attentis. Qui novit literas, scripturam divinam studeat legere : qui vero non novit, quarat sibi & roget, qui illi debeat præcepta prælegere. &c. Denique GREGORIUS M. Ep. 40. ad Theodorum Medicum scribit : *Quid est Scriptura S. ? nisi quadam Epistola omnipotentis DEI ad creaturam suam ? Sicuti ergo, si quis literas à mundano quodam Imperatore acciperet, non cessaret, non quiesceret, somnum oculis non daret, nisi prius quid sibi Imperator terrenus scripsisset, cognovisset. Ita, postquam Imperator Cæli, Dominus hominum & angelorum, pro vitâ tuâ tibi suas epistolas transmisit ; ne quaso, dilecte fili, easdem epistolas ardentè legere negligas ? quin potius quotidie Creatoris tui verba meditare. Disce cor DEI in verbis Dei, ut ardentius ad æterna suspires, ut mens vestra ad cælestia regna majoribus desideriiis accendatur &c. Cujusmodi exhortationes complures è scriptis Patrum, si quidem præsentis instituti nostri ratio id jam permetteret, heic cumulari possent.*

§. III.

RATIONES, quæ ab adversariis in contrarium afferuntur, prorsus nullæ sunt. Quodsi enim populus propterea à lectione Scripturæ arcendus est, quia ex Scripturis malè intellectis oriuntur hæreses, consequens erit, etiam Viros doctos, utut Clericos, potiori jure ab eadem arcendos esse, quia perpauca hæresium autores Laici & idiotæ fuerunt ; Et, prout SALMERO *Disp. X. in Epist. ad Rom.* scribit, in specie Arius, Græcè licet doctissimus, tamen hæresiarcha extitit omnium pestilentissimus ; Imo, quod agnoscit BELLARMINUS, * hæresiarchæ fere omnes aut Episcopi aut Presbyteri fuere. Abusus igitur verum usum non tollit. Nec sufficit, lectionem Scripturæ quibusdam tantum

Lai-

* *L. I. de Pontifice Rom., C. LXX.*

Laicis concedere, per modum *Privilegii*; Cum ea omnibus incumbat, per modum *officii*.

DE PERSPICUITATE SCRIPTURÆ.

§ I.

QUINTO. Non negamus quidem multa in Codice S. esse abstrusa & difficilia, quæ non laicis solum, sed & Clericis sacrarum linguarum peritissimis crucem figere queunt. Interim tamen Scripturam S. satis PERSPICUAM atque intellectu facilem esse asserimus, quoad articulos fidei scitu necessarios, & præcepta morum, quæ saltem alicubi in Scripturâ perspicue tradita esse, evincunt argumenta à causa *efficiente, materiali & finali* desumpta; Quanquam argumentis, ubi res ipsa loquitur, opus non sit.

§. II.

Quodsi enim Deus, *auctor* Scripturæ principalis, & voluit & potuit de mysteriis fidei ac præceptis morum perspicue loqui, nullum est dubium, quin & actu perspicue locutus fuerit. At quod potuerit, nemo sanus dubitat; quod verò & voluerit, patet ex *sine* Scripturæ, quæ ad informandos homines etiam simplices, jussu Dei exarata est. Pl. XIX. 8. II. *Materia* autem Scripturæ totius ad legem & Evangelium reduci potest. Jam verò Summa legis moralis perspicue satis proposita est in Decalogo, qui & in Prophetiis & Apostolicis scriptis clarissime exponitur; Summa autem Evangelii Solis radiis scripta extat Joh. III. 16. & alibi passim in quamplurimis N. T. locis. Quod verò nihilominus Evangelium quibusdam *opertum*, clausum & obscurum dicitur 2. Cor. IV. 3. id ex accidenti est, nec claritati & perspicuitati, quæ verbo per se competit, quicquam derogare potest, prout id ex ipso hoc loco satis superque liquet. Nimirum verbum Dei lux est, si in se ac per se consideretur, & *lucerna lucens in loco caliginoso* 2. Petr. I. 19. Accidit vero ei, quod Verbo hypostatico, de quo Joh. I. 5. dicitur; *Lux in tenebris*

nebris luxit, sed tenebræ eam non comprehenderunt. Non igitur accusanda est Scriptura obscuritatis, sed hominum potius infidelium deploranda est cæcitas, eoque magis, quod voluntaria, dum ipsi, ne videant, oculos sibi suffodiunt.

§. II.

ARGUMENTA adversariorum plus non probant, quam quod quædam in Scripturis occurrant difficiliora & δυσνόητα, quod Petrus affirmat de epistolis Paulinis 2. Petr. III. 15. 16. & quod mysteria fidei, quæ in Scriptura traduntur, ob sublimitatem suam, captum rationis humanæ longè transcendunt, quod nemo nostrum diffitetur. Id verò quod SALMERO urget, quod scilicet Deus ideo voluerit Scripturam esse obscuram, ne auctoritas ejus vilesceret, cum is naturæ nostræ genius sit, ut quæ omnibus clara & facilia sunt, facile quoque vilescant; id per absurdum est, cum hac ratione etiam Symbolum apostolicum, Decalogus & Oratio Dominica, quæ ipsi Pontificii fatentur factis clara & perspicua esse, eidem periculo essent obnoxia. Et proinde omnis quoque explicatio Scripturæ, quâ difficiliora redduntur clariora & magis perspicua, cum periculo conjuncta dici deberet.

§. III.

Pertinet huc UNITAS SENSUS LITERALIS à Spiritu S. primò ac proximè intenti & per verba sive propria sive figurata expressi. * Ubi quidem non negamus, varias ex uno sensu literali consequentias deduci, vel & applicationes diversas fieri posse; Sensum verò à Spiritu S. immediatè intentum in uno eodemque Scripturæ loco nonnisi unum esse probamus ex eo, quia finis Scripturæ est nostra ad salutem informatio; unde neque obscura neque ambigua atque incerta esse debet, quia quod hujusmodi est, medium idoneum dici nequit, ut *sa-*
pien-

* De hoc argumento legi præ aliis meretur GLASSIUS in *Philol. S.* p. 259. &c.

pietas reddat ad salutem. 2. Tim. III. 15. &c. Jam verò varietas sensuum obscuritatem gignit & ambiguitatem, hæc verò incertitudinem & dubitationem. Deinde sensus literalis est quasi forma verborum Scripturæ; Quemadmodum ergo forma unius rei essentialis non est nisi unica: Ita & sensus literalis proximè à Spiritu S. intentus nonnisi unus est.

§. IV.

Exempla, quæ in contrarium hic adducuntur, plus non probant, quam quod in confessio est, scilicet quod interdum præter sensum literalem sensus quoque *mysticus* locum habeat, qui verò non tam per *verba*, quam per *res* verbis designatas significatur; Et quod unum idemque Scripturæ dictum varias sive applicationes, sive accommodationes admittat. Verum quidem est, quod Autor Scripturæ DEUS iisdem verbis diversa significare possit, & quod mens Dei non sit alligata uni duntaxat veritati, quemadmodum intellectus humanus, cum potius omnia simul uno actu simplicissimo comprehendat; Verùm à *posse* ad *esse* non valet consequentia. Et præterea argumentum hoc, uti quis facile videt, nimium probat; Cum enim Deus, dicente BECANO, *unico verbo mentali simul infinita complectatur*, sequeretur inde, quod & unico verbo prolato vel scripto infinitos expresserit sensus, quod oppidò absurdum. Ex eo autem, quod Patres aliive Scripturæ Interpretes unum eundemque locum diversimode interpretantur, ipse *Becanus* fatetur, non sequi, plures esse sensus literales in illis locis, cum sæpe fiat, ut plures ii sensus, qui à variis assignantur, inter sese pugnent, quæ certè pugna aut contrarietas à Spiritu S. qui sibi semper constat, esse nequit. Cæterum, quid in divisione sensus mystici Pontificiis usitatâ, nempe in *allegoricum* fidei, *moralem* charitati, & *anagogicum* spei respondentem, jure desiderari queat, de eo omnino legi meretur GLASSIUS.*

DE

* in *Philol.* S. p. 289. seqq.

DE INTERPRETATIONE SCRIPTURÆ S.

§. I.

SEXTO. De Interpretatione Scripturæ S. extat Decretum CONCILII TRIDENTINI Sess. 4. *Ne quis contra eum sensum, quem tenuit sancta Mater Ecclesia (Romana scilicet) cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Sanctarum Scripturarum, aut etiam contra unanimum consensum Patrum, ipsam Scripturam S. interpretari audeat.* Cui Decreto innixus BELLARMINUS l. 3. de V.D. c. 3. scribit: *Indicem veri sensus Scriptura & omnium controversiarum esse Ecclesiam, i. e. Pontificem cum Concilio, & in hoc omnes Catholicos convenire.* Hanc autem assertionem ut plausibiliorem reddat, fingit, eam consentire cum dicto Petri mox allegando, idque his verbis declarat: *Convenit inter nos & adversarios, Scripturas intelligi debere eo spiritu, quo facta sunt, i. e. spiritu S. juxta 2. Pet. I. Tota igitur questio in eo posita est, ubi sit ille Spiritus? Nos enim existimamus, hunc Spiritum, etsi multis privatis hominibus sapè conceditur, tamen certo inveniri in Ecclesia, i. e. in Concilio Episcoporum confirmato à Summo Ecclesiæ Pastore.* Et c. 9. Scriptura, ait, *varios sensus recipit, nec potest ipsa dicere, quis sit verus. Scriptura seipsam interpretari non potest.*

§. II.

Contra verò nos asserimus, optimam Scripturæ interpretationem eam esse, quæ ex ipsâ Scripturâ petitur, & consequenter genuinum Scripturæ sensum ex ipsâ Scriptura, adhibitis mediis hermenevticis, eruendum esse; Quia, uti alias dici solet, optimus Interpres verborum quisque suorum est; Ita sine dubio quoque Spiritus S. tanquam autor Scripturæ principalis, sui ipsius optimus & authenticus Interpres est. Id quod Petrus innuit 2. Epist. I. 21. quando de tota Scripturâ prophetica ait, eam non esse *ιδίας ἑρμηνείας*, i. e. *proprie interpret-*

*terpretationis ita, ut pro cuiusque libitu ac ingenio eam interpretari liceat, additâ hâc ratione, quia scriptura Prophetica non sit allata voluntate hominum, sed sancti DEI homines aut scriptores sacri loquuti fuerint acti à Spiritu S. Quod idem est, ac si dixisset Petrus: Quemadmodum scriptura ipsa non ex hominum ingenio & arbitrio, sed divina Spiritus S. inspiratione con-scripta est: Ita, qui scripturam rectè vult interpretari, non pro suo ingenio, privato & proprio sensu, sed juxta sensum & mentem Spiritus S. eam exponere debet; Quæ, cum nobis aliunde non innotescat, quam ex ipsis scripturis, ideo Scriptura ex ipsa Scriptura, ex antecedentibus & consequentibus, ex substratâ materiâ & scopo dicentis &c. explicari debet. Nimirum, sicuti authentica legum interpretatio ad ipsum Legislatorem pertinet, & ex ipsis legibus, facta harum collatione & habito ad scopum Legislatoris aliasque circumstantias respectu, petenda est: Ita & sine dubio ad Spiritum S. tanquam Autorem Scripturæ, authentica ejusdem interpretatio pertinet, qui, cum non nisi per Scripturas nobiscum hodiè loquatur, per easdem quoque genuinum ejus sensum nobis, ad contextum & circumstantias attendentibus, ipse suppediat & monstrat, quænam sit vera Scripturæ interpretatio, nimirum ea, quæ analogiæ fidei & harmoniæ ipsius Verbi divini conformis est. Rom. XII. 7. Quod nisi admittatur, Scriptura nihil aliud erit, quam statua quædam imuta vel mortua, per Ecclesiæ vocem demum animanda. Hinc TERTULLIANUS exclamat: *Exurge veritas, & ipsa scripturas tuas interpretare, quas consuetudo non novit.* Et IRENEUS: *Oensiones, inquit, quas sunt in scripturis, non possunt ostendi, nisi ex ipsis scripturis.* Denique HILARIUS passim monet, sensum Scripturæ non inferendum, sed ex ipsâ eruendum esse. Imò & ipsi saniores Pontificii fatentur, quod ea, quæ in uno Scripturæ loco paulo obscurius proponuntur, in alio clarius subinde exponantur, & proinde Scriptura ex Scriptura sit explicanda*

D

canda. De cæteris consensum quidem interpretationis cum Ecclesiâ verâ nos quoque maximi facimus, omnemque *ἰδιογνωμοσύνην* repudiamus. Ecclesiam autem Romanam, ad cuius interpretationem nos alligare volunt Romanenses, pro vera non agnoscimus.

DE PERFECTIOE SCRIPTURÆ S.

§. I.

SEPTIMO. Scripturam S. ita esse PERFECTAM, ut quæcunque ad salutem scitu creditaque sunt necessaria, in ea sufficienter contineantur, & ex ea cognosci & addisci queant, ita quidem, ut traditionibus non-scriptis iisque Dogmaticis (de quibus deinceps seorsim,) opus non sit, probatur ex loco classico 2. Tim. III. 15. &c. ubi Scriptura dicitur utilis, & quidem utilitate adæquata sive sufficientiæ, non ad aliquos solum usus, sed ad omnes, nempe *πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἐλεγχόν, πρὸς ἐπιβίβασιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ*, ita ut hominem possit *σοφίσαι* ad salutem ψ. 15. ac idoneum reddere ad omne opus bonum ψ. 17. Qui sane effectus omnes institutionis salvificæ numeros implent, & Scripturæ in se spectatæ tribui non possent, nisi ea omnia, quæcunque ad salutis æternæ consecutionem sunt necessaria, plene ac perfecte traderet. Quod enim in se perfectum non est, hominem perfectum reddere nequit. Quemadmodum igitur Apostolus *omne consilium Dei* de salute nostra prædicavit Act. XX. 27. XXVI. 22. nec quicquam tamen extra Mosen & Prophetas locutus est: ita multo magis Scriptura utriusque Testamenti omne consilium Dei continere censenda erit; Quare & idem Apostolus monet, ne quis *sapiat ultra id, quod scriptum est.* 1. Cor. IV. 6. Quod si denique Scriptura unum idemque dogma sapius inculcat, atque ea etiam passim proponit, quorum cognitio absolute necessaria non

non est, multo minus in necessariis ea deficiet. Hinc fatetur ipse BELLARMINUS, * omnia illa scripta esse ab Apostolis, quæ omnibus sunt necessaria, & quæcunque palam omnibus prædicaverunt. Et ad dictum IRENÆI: *Quod Apostoli primum præconiarunt, postea in Scripturam redegerunt, ut hæc esset fundamentum & columna fidei nostræ*: Ibidem R. loquit IRENÆUM de dogmatibus simpliciter omnibus ad salutem necessariis, id quod nobis sufficit. Quid? quod alibi idem ** diserte ait, non posse aliquid certum esse certitudine fidei, nisi aut immediate in Verbo Dei contineatur, aut per evidentem consequentiam ex illo deducatur, cum fides non sit, nisi Verbi Divini autoritate nitatur. Conf. ea, quæ paulo post de traditionibus non-scriptis dicentur.

§. II.

Perfectionem vero INTEGRÆLEM Scripturæ S. sive, quod libri Prophetici & Apostolici ab Ecclesia in Canonem recepti hodiernum omnes extent, probat partim Div. *Providentia*, quæ non permisit, ut libri Canonici proprie sic dicti, quippe ipsius instinctu & afflatu in usum totius Ecclesiæ usque ad consummationem seculi duraturæ scripti interirent; partim Ecclesiæ tum Judaicæ, tum Christianæ primitivæ *Vigilantia* & fidelis custodia. Utraque enim tanta cum diligentia libros canonicos sibi concreditos asservavit, ut nullum perditionis periculum ipsis imminere potuerit; partim denique *Confessio* saniorum Pontificiorum, quos inter SALMERO: *** *Mihi, inquit, longe probabilius esse videtur, libros istos nunquam fuisse Canonicos, etiamsi paratus sim mutare sententiam, si quisquam solidis rationibus contrarium evicerit.* Quo ipso inquit, id rationibus solidis hactenus quidem nondum evictum esse. Et ita res omni-

* L. IV. de Verbo Dei C. II. §.¶ His notatis.

** Lib. III. de Justif. c. IIX.

*** T. I. Comment. in N. T. p. 93.

nō se habet. Qui enim periisse putantur, vel adhuc *super-*
sunt, ut *liber fœderis*. Exod. XXIV. 7. *Liber Regni*. I. Sam. X.
 25. sunt isti ipsi Libri; Quemadmodum & *lamenta Jeremie* 2.
 Paral. XXXV. 25. sunt ipsi *Threni*, qui hodiernum extant.
 Pariter *Libros Nathan & Gad* I. Paral. XXX. 29. *Abie & Jeh-*
donis 2. Paral. IX. 29. *Semajæ & Hiddonis* C. XII. 15. partem li-
 brorum Samuelis & Regum esse volunt Judæi, Patres & San-
 ctius; Denique & *Epistola* I. Cor. V. 9. allegata est ipsa hæc epi-
 stola. *Vel non fuerunt* Θεσπρωτοι adeoque nec *Canonici*, sed pro-
 fani, historici & politici; cujus commatis sunt *Chronicon Per-*
sarum Esther. X. 2. *Liber bellorum Domini* Num. XXI. 14. *Li-*
ber Justi Jos. X. 13. 2. Sam. I. 14. *Dierum Regum Juda & Israël*
 I. Reg. XIV. 19. 20. XV. 7. ut & *Epistola* ἐκ Λαοδικίας Coloss.
 IV. 16. quæ Laodicensium erat, non Pauli ad Laodicenses.
Vel denique plane nunquam fuerunt scripti, ut *Prophetia Enochi*
 Jud. v. 14. & quorum mentio fit 2. Tim. III. 8. & Judæ v. 9.*
 Quod si vel maxime probari posset, libros quosdam Prophē-
 ticos sacros & verè canonicos periisse, id quod tamen demon-
 strari nequit, nondum tamen evictum foret, quod hac sua as-
 fertione intendunt adversarij, Canonem Scripturæ s. esse im-
 perfectum, ita ut non omnia fidei dogmata in eo continean-
 tur, cum ex illis ipsis libris, qui adhuc supersunt, nihilomi-
 nus omnia doctrinæ salvificæ capita sufficienter peti possent,
 ita ut ad traditiones non-scriptas propterea confugere necessum
 minime haberemus. Sed de his nunc seorsim.

DE

* Hæc enim H. WITSIUS arbitratur, Judam non ex libro aliquo scri-
 pto, sed ex traditione isto tempore notâ habuisse, quam veram esse
 Spiritu magistro cognoverit, dignamque judicârit, quam suâ hæc epi-
 stolâ aternitati consecraret. *Melotem. Leidens. p. 503.* Ceterum plu-
 ra de his singulis videtis apud GERHARDUM, RIVETUM & alios.

DE TRADITIONIBUS NON-SCRIPTIS.

§. I.

OCTAVO. Quod Traditiones concernit, CONCILIUM quidem TRIDENTINUM *sess. IV.* sancivit, eas *pari cum verbo scripto pietatis affectu & reverentia suscipiendas esse.* Et BELLARMINUS*, *Scripturas sine traditionibus etiam de fide, neque simpliciter necessarias neque sufficientes esse,* non dubitavit asserere. Nos vero traditiones DOGMATICAS** ad defectum Scripturæ in articulis quibusdam fidei supplendum necessarias nullas agnoscimus, ex sequentibus argumentis:

I. Quia Verbum scriptum expresse vetat sibi quicquam *addi vel detrahi*; Jam vero per traditiones ejusmodi verbo scripto vel additur (in diversis,) vel & detrahitur (in contrariis) Deut. IV. 2. & XII. 32.*** Jos. I. 7. I. Cor. IV. 6. Gal. I. 8. ubi particula *et* non contraria solum, sed & diversa excludit; & Apoc. XXII. 17. quibus verbis tota Scriptura veluti sigillo quodam obsignatur. Quicquid autem vel Prophetæ scribendo, vel Patres explicando addiderunt, unius ejusdemque quoad substantiam Verbi interpretatio fuit, nil continens à Verbo Dei antea scripto diversum, multo minus ei contrarium. Conf. Act. XXVI. 22.

II. Quia Scriptura sibi met sufficientiæ suæ locupletissimus testis est 2. Tim. III. 16. Act. XX. 27. Ubi frustra distinguitur inter prædicationem oralem & scriptionem, prout ex supra dictis patet.

D 3

3. Quia

* L. IV. de V. D. C. IV. p. m. 207.

** De cæteris enim traditionum generibus, quorum CHEMNITIUS in *Exam. Concilii Trid.* p. 60. & seqq. octo recenset, sermo nobis non est. Conf. Reverendiss. Cancellarii nostri Dis. de *Traditionum non-scripturarum speciebus* &c.

*** ad h. l. conf. SEB. SCHMIDII *Colleg. Bibl.* p. 1. seqq. ubi & ad Exc. BELLARMINI respondetur p. II, seq.

III. Quia ipsi Pontificii definire non possunt, quamnam prae-
cise sint traditiones illae non scriptae, ubi reperiuntur, quis ea-
rum sit numerus, & quomodo verae à falsis discerni quant? *
Unde, quae alii pro traditionibus ἀγράφους habent, alii non mi-
noris auctoritatis Scriptores ex ipsis S. literis vel re ipsa pro-
bant, si sunt vera dogmata, quemadmodum v. gr. BELLAR-
MINUS ** tria ex Scripturis argumenta pro paedobaptismo ad-
ducit; vel ad minimum probare conantur, si sunt dogmata
falsa, quemadmodum idem Cardinalis dogmata de caliba-
tu Sacerdotum, de meritis operum, invocatione Sanctorum,
purgatorio &c. quae omnia ab aliis inter traditiones ἀγράφους re-
feruntur, ex verbo Dei scripto probare posse contendit. GER-
HARDUS triginta hujusmodi traditiones recenset, & quid de sin-
gulis sit habendum, solide ostendit ***. Optime igitur HIERO-
MYMUS in Matth. XXIII. *Quod de Scripturis ait, auctoritatem
non habet, eadem facilitate contemnitur, quae asseritur.* Et BA-
SILIUS M. in L. de Conf. fidei: *Manifestum est, inquit, infideli-
tatis & arrogantiae crimen, vel rejicere aliquid, quod scriptum est, vel
addere aliquid, quod non scriptum est.* §. II.

* BELLARMINUS quidem quatuor in hanc rem regulas praescribit; At RIVINUS
iis cum fallacibus, vel & impossibilibus ἀγράφους, unam hanc veram ac fa-
cilem opponit, omnes traditiones, quae ab hominibus tanquam Divinae
vel Apostolicae commendantur, aut ab Ecclesiis institutae observantur,
judicari & examinari debere ad regulam & veritatem sacrarum scriptura-
rum, ita, ut nihil prorsus recipiatur vel fide credendum, vel in mo-
ribus necessarii usurpandum, quod ex S. Scripturis evidenter probari
non possit; nihil in ritibus aut politicis Ecclesiae, quod adversus ejus-
dem generales ac communes regulas impingat. Hancque regulam
ipsarum scripturarum testimoniis roborari, atque consensu & praxi
orthodoxorum veterum insinuari ait in *Isag. ad Script. S. p. 1016.*

** *L. IV. de Baptismo C. VIII.*

*** in *Confess. Cathol. L. I. P. I. c. 1. & P. II. c. V.* in quo de Traditioni-
bus ἀγράφους ex professo agitur.

§. II.
 Traditiones quidem *historicas, rituales, & exegeticas* facile admittimus, *dogmaticas* autem sine præjudicio perfectionis Scripturæ S. quam supra evicimus, admittere non possumus; Neque illas probare possunt adversarii vel ex 2. Theff. II. 15. vel ex 1. Cor. XI. 2. quia in his locis sermo solum est vel de duplici modo tradendi doctrinam eandem, non diversam, præsentibus sc. per sermonem, absentibus autem per epistolam; vel de ἀπειθεῖα non articulo fidei, sed quæ ad ritus, & bonum ordinem καὶ εὐχρημοσύνην in Ecclesia observandam pertinent. De divina autem Scripturæ S. autoritate præter traditionem seu testificationem Ecclesiæ primitivæ, quam utique magnificandam esse in hac causa ultro fatemur, criteria quoque ipsius Scripturæ, interna potissimum, & vel maximè testimonium Spiritus S. internum testantur. * Quaquam hæc quæstio non tam articulum quendam fidei, quam ipsum potius fidei principium concernat.

DE AUTORITATE SCRIPTURÆ.

§. I.

NONO. *Αυτοπιστία* Scripturæ S. quæ continet Verbum Dei, qui est *ἀπὸ τοῦ Θεοῦ*, & quod autoritas ejus neque in se, neque quoad nos præcipuè, nedum unice, pendeat ab autoritate & testimonio Ecclesiæ, probatur

I. Quia eadem est autoritas Verbi divini, quæ est ipsius Dei loquentis; hæc vero aliunde non pendet, adeoque nec autoritas Scripturæ *θεοπνεύτου*, quæ per criteria potissimum insita & divina, quæ pollet, efficaciam ipsa Divinitatis sibi testis est.

II Quia

* De Criteriis Scripturæ S. omnino legi meretur B. WOELFLINI nostri Dissertatio Exercitationibus de *Lapsu Adami* subnexa.



II. Quia Ecclesia exstructa dicitur super *fundamentum Prophetarum & Apostolorum* Eph. II. 20. consequenter autoritas Ecclesiae potius pendet ab autoritate Scripturae, quemadmodum & BELLARMINUS, * ubi de hoc ipso loco disserit, fatetur, Verbum Dei primum fidei nostrae fundamentum esse, quanquam ibidem addat, praeter hoc requiri aliud fundamentum *secundarium*, seu Ecclesiae testificationem. Jam vero fundamentum secundarium fundamento primario autoritatem conferre nequit, quin potius omne suum robur accipit à primario.

III. Quia sermo propheticus 2. Petr. I. 19. *βεβαιότερον & firmiter* ac certior dicitur testimonio omni humano, ipsius quoque Apostoli Petri, quem Pontificii caput Ecclesiae, ac primum Pontificem Romanum fuisse contendunt; Imò firmiter, prout *Salmero* exponit, ipsa visione transfigurationis oculari. Quod vero hujusmodi est, id autoritatem suam à testimonio Ecclesiae non mutuatur, quippe quod in se spectatum mere humanum, adeoque fidem non divinam, sed humanam saltem gignere aptum est.

VI. Quia Verbum Dei *prius & antiquius est* Ecclesiae; Quemadmodum igitur Ecclesia primitiva in utroque Testamento fidem habuit verbo revelato tanquam divino propter ipsum verbum; Ita & Ecclesia sequentium temporum verbo in Scripturas relato potissimum fidem habet propter criteria divinitatis eidem insita, non propter testimonium Ecclesiae; quam de cetero verbi divini *custodem, praconem, vindicem* atque *interpretem*, consequenter & *testem* esse, minime negamus.

V. Quemadmodum Samaritani Joh. IV. 39. 42. primum quidem crediderunt Jesum esse Christum, ob testimonium mulieris, deinde autem propter ipsius Christi verbum, quod ex ore ejus ipsi audiverunt: Ita quoque testimonio quidem Ecclesiae quis adduci potest, ut fidem habeat Scripturae, quae
verò

* L. III. de Verbo DEI C. X.

vero deinceps nativâ suâ efficacîâ fidem istam ipsa magis confirmat, ita, ut assensus jam in ipsam potius Scripturæ autoritatem, quam Ecclesiæ testimonium resolvatur.

§. II.

Dictum AUGUSTINI : *Non crederem seu credidissem Evangelio, nisi me catholica Ecclesiæ autoritas commoveret*, seu commovisset, ad quod Pontifici in hac disputatione toties provocare solent, non probat probandum; Partim idè, quia Augustinus ibi occasionem saltem innuit, quâ à Manichæismo ad divinarum literarum amorem & scrutinium pervenerit, nimirum per testificationem Ecclesiæ, verbo Evangelii testimonium divinitatis perhibentis. Jam verò nemo nostrum negat, quod testimonium Ecclesiæ sit medium idoneum & suo modo efficax cognoscendæ veritatis, quæ in Scripturâ continetur, sed ex eo non sequitur, quod in quæstione est, scilicet quod sit medium unicam, præcipuum & omnibus absolutè necessarium, id quod ipsi saniores Pontifici non admittunt; Unde & CANUS *Lib. II. Loc. Theol. c. II.* optimè scribit: Non si nobis Ecclesiæ aditum præbet ad libros sacros cognoscendos, protinus ibi acquiescendum est, sed ultra oportet progredi & solidâ Dei autoritate niti. Partim, quia ipse Augustinus (*Tract. XV. in Evangelium Johannis*) rem omnem similitudine à muliere Samaritanâ desumptâ illustrat, & ait: Sic agitur hodie cum iis, qui foris sunt, & nondum sunt Christiani; Christus nunciatur per alios, ipsi verò postquam ad Christum venerunt, & biduo apud eum manserunt, firmiter jam in ipsum credunt propter verbum ipsius. Joh. IV. 41. Partim denique, quia longè alia olim fuit ratio Ecclesiæ primitivæ, de quâ Præsul Hipponensis ibi loquitur, quam quæ hodiè est Ecclesiæ Romæ, quam adversarii unicè hic intellectam volunt.*

E

Uc

Ut non dicamus, in quibusdam exemplaribus legi: *Nisi me Ecclesie commoveret* (non *commoveret*) *autoritas*; Aliud verò est *commonitorium*, aliud principium & *motivum* formale ac proximum credendi, de quo, uti Thomas benè observat, Augustinus hic non loquitur. Verbo: *Autoritas* & testimonium Ecclesie est medium *εισαγωγικόν* καὶ λειτουργικόν ac ministeriale, quo utitur Deus in suadendâ nobis verbi scripti autoritate, non verò κύριον, ἀυθεντικόν καὶ ἀυτοκρατορικόν; Et licet illud quandoque, præsertim apud infideles, qualis tùm erat Augustinus, primum inter alia *θεωπνευσίας* argumenta locum obtineat; à prioritate tamen *ordinis* vel *temporis*, ad prioritatem *dignitatis* n. v. c.

DE POTESTATE JUDICIARIA SCRIPTURÆ SACRÆ.

§. I.

DECIMO. Ipsam denique Scripturam s. judicem controversiarum, non quidem *personalem*, sed *realem*, *organicum* ac *directivum*, sive, quod idem est, vocem Judicis supremi esse, & consequenter *NORMAM* atque regulam, quam iudex ministerialis inferior unice respicere debet, probamus

I. Quia Deus ipse nobiscum loquitur in Scripturâ & per Scripturam, suumque de controversiis fidei iudicium authenticum nobis manifestat. *Nonne verò populus Deum suum quarere debet?* Esai. VIII. 19.

II. Quia in dijudicandis fidei controversiis Christus & Apostoli

* Vid. de hoc Augustini dicto GERHARDUS in *Exeg.* p. 29. JO. MUSÆUS in *Tract. de Ecclesia* p. 477. seqq. & RIVETUS in *Isagog.* p. 862.

stoli unicè ad Scripturam provocarunt, suoque adeo exemplo nos ad eam tanquam ad Normam ac Regulam in rebus fidei & morum remiserunt.

III. Quia verbo Div. Ebr. IV. 12. vis *κρίτη* disertè tribuitur, in genere quoad omnes cogitationes cordis, consequenter & quoad cogitationes circa controversias fidei, quarum maximum est momentum, verane sint, an falsæ, num rectè se habeant, mentique ipsius DEI conformes sint, nec ne? Agi autem hoc in loco de verbo *προφορικῶς*, agnoscunt ex ipsis Pontificiis ESTIUS, STAPLETONUS, & alii.

§. II.

Quod verò Adversarii in COLLOQUIO RATISBONENSI & passim alibi urserunt, Judicem debere esse visibilem, ita ut ab utraque litigantium parte videri vel saltem audiri queat; & habere auctoritatem definitivam & coactivam, ita, ut in ejus sententia partes litigantes teneantur acquiescere; id de Judice forsan *personali* causas forenses tractante, si multum concedere velimus, verum est, de *reali* autem, *normali* ac *directivo* in rebus fidei non item. Cæterum ipsa quoque Scriptura judicat & *definitivè*, dum tanquam vox supremi Judicis dubia religionis definit ac determinat, & *coactivè*, non quidem coactione aut vi quadam externâ, sed tamen convictione cordis internâ, ita ut in ipsius pronunciato omninò sit acquiescendum. Quæ verò pro Ecclesiâ Romanâ ejusque capite Pontifice summo deblaterant adversarii, apud nos quidem fidem non merentur, qui neque Ecclesiam Romanam pro vera Ecclesia, neque Pontificem Romanum pro Vicario Christi & capite totius Ecclesiæ, consequenter nec pro Judice controversiarum agnoscimus. Non enim sufficit dicere, Ecclesiam Romanam vel caput ejus visibile, Pontificem Rom. errare non posse atque infal-

infallibilem esse, sed id potius ante omnia argumentis solidis atque idoneis probandum esset, quod verò in æternum non probabunt Pontificii, cum res ipsa & quotidiana in hodiernum usque diem reclamet experientia.

§. III.

Solent quidem Adversarii in rem suam duo potissimum Scripturæ loca allegare, alterum ex Vet. alterum ex N. T. desumptum, ut evincant, necessarium in Ecclesiâ esse Judicem quendam personalem, penes quem sit potestas judicandi de omnibus controversiis, quæ circa res fidei & morum oriri possunt. Prior locus extat Deut. XVII. v. 8. 9. ex quo ita colligunt: Cùm Deus in populo suo Israelitico summum quandam controversiarum omnium Judicem eumque infallibilis planè ac irrefragabilis autoritaris olim constituerit, vix dubium esse posse, quin eâdem ratione Ecclesiæ quoque Christianæ prospexerit ac voluerit, ut per Judicem quendam visibilem eumque infallibilem omnes controversiæ in rebus fidei & religionis dirimerentur. Hunc vero alium non esse, quam Pontificem Romanum. *Alter locus habetur I. Tim. III. 15. ubi Ecclesia DEI vocatur *columna & firmamentum* *σύλη & ἰσθμὸς ἀληθείας* *veritatis*. Ex quo inferunt, Ecclesiam errare non posse, ac proinde iudicium Ecclesiæ, seu Pontificis Romani tanquam capitis Ecclesiæ; prorsus infallibile, eique tanquam stabili ac firmo fundamento in rebus dubiis unice innitendum esse.

§. IV.

* Ita Jesuitæ in Colloquio Ratisbonensi sententiam suam clare dicere jussi pronuntiârunt: Judex generalis, legitimus & ordinarius omnium controversiarum, quæcunque possunt oriri in negotio religionis, est Pontifex Romanus, sive solus definiat aliquid, sive definiat cum Concilio generali. Ille Judex semper est infallibilis, quando ex Cathedra definit, ut Pontifex, nulli errori obnoxius.

§. IV.

Verum, quod *priorem* locum attinet, sunt, qui ita respondent: Dato, non concessio, Deum voluisse, ut in populo suo tempore V. T. iudex aliquis esset, qui lites omnes, etiam de religione & fide, dirimeret, & protali ab omni populo agnosceretur, ex eo tamen non sequitur, quod & in N. T. talem iudicem esse voluerit, quin potius, Deum id noluisse exinde colligitur, quia nullum expressum mandatum eâ de re dedisse legitur in N. T. * quod tamen ob diversum Ecclesiæ Judaicæ & Christianæ statum & conditionem utique necessarium fuisset. Sed mittamus hoc & dicamus, quod res est: 1. in textu allegato sermo est de causis ac litibus, quæ in foro civili tractari, atque à Iudice Politico decidi solent, de rebus autem ad fidem & religionem spectantibus, nulla planè fit mentio. ** 2. Non agitur ibi de unico aliquo supremo Iudice, in cuius solius sententiâ sit acquiescendum, sed de toto Collegio ac Senatu, ad quem lites huiusmodi erant deferendæ & communi omnium suffragio decidendæ, de pluribus *Sacerdotibus*

E 3

tibus

* Hinc rectè querit SCHRÖDERUS *Tract. de Iudice Controv. C. V.* ab initio. Ubi legitur, hominem unum aliquem ad istud culmen & summæ dignitatis fastigium evectum esse, cuius in sententiâ cæteris absolutè & sine omni discussione sit acquiescendum? Ubi nos S. literæ ad unum aliquem Episcopum, seu Iudicem supremum, cuius calculo ad terminum inquisitionis, ut loquitur Augustinus, in his controversiis certò perveniatur, ablegat? Ubi denique sepulta tant diplomata, è quibus divinum istud officium divinitus sibi delegatum esse, Romanus ille Jupiter conspicuum reddet?


** Ita LUTHERUS T. III. Jen. Lat. de hoc loco: *Non agit, inquit, Moses de questionibus fidei, sed de sententiâ publicorum & profanorum criminum, de homicidio, furto, rapinâ &c.*

tibus ac Levitis, tanquam Assessoribus illius supremi Judicii, & quanquam *Judicis* in singulari fiat mentio, mox tamen verbum in plurali subjungitur: *Et indicabunt tibi verbum judicii, & facies juxta verbum, quod indicaverint tibi.* Ex quo manifestum est, id quod de *Judice* in singulari dicitur, per enallagen numeri & pro receptâ hodiernum loquendi consuetudine, de toto Senatu, ac Judicio accipiendum esse. 3. Falsum est, supremum hunc Judicem vel Senatum Judæorum fuisse infalibilem; Contrarium enim patet ex Historia Evangelica & ex sententia à Synedrio magno de Christo ejusque doctrinâ lata, quæ quam iniqua, quam perversa ac cœca fuerit, per se liquet. 4. Si vel maximè constaret, velle Deum, ut sit *Judex* aliquis in Ecclesia summus, personalis ac visibilis, nondum tamen evidum esset, quod Adversarii intendunt, scilicet dignitatem hanc competere Pontifici Romano & quidem soli, sed id aliunde demum probandum ac demonstrandum foret.

§. V.

Quod *alterum* locum concernit, pro diversa textus interpunctione, diversum quoque de genuino verborum sensu judicium ferendum est. Sunt enim, qui verba, *σύλη & κη ἐδραίων τῆς ἀληθείας*, conjungere malunt cum sequentibus, quam antecedentibus, hoc modo: *Columna & stabilimentum veritatis & reverà magnum est pietatis mysterium* &c. atque ita sensus esset hic, quod doctrina de Filio DEI in carne manifestato sit ipsum veritatis Evangelicæ fundamentum, cui tanquam basi aut columnæ omnes aliæ veritates sint superstructæ, conf. 1. Cor. III. II. Juxta communem verò distinctionem Ecclesiæ quidem elogium hoc tribuitur, quod sit columna & firmamentum veritatis divinæ, verum non alio sensu, quàm quatenus ejusdem præco, custos, imò & interpret ac vindex est, & quamdiu ipsa in

in veritate permanet ac firmiter persistit, non quod autoritate suâ veritati cœlesti fulcrum aliquod aut fulcimentum præbeat, aut, quasi in rebus fidei iudicio Ecclesiæ potius quam ipsius Scripturæ, in quâ veritas divina continetur, standum sit & acquiescendum. Absit! Denique de Ecclesiâ hic agitur, quæ est domus DEI vivi, adeoque de Ecclesiâ verâ, pro quâ nos Ecclesiam Romanam non agnoscimus, postquam ea à doctrinâ Apostolorum in quamplurimis defecit; neque de Ecclesiâ quâdam particulari sermo est, quæcunque illa demùm sit, sed de universali, nulli certo loco aut sedi alligatâ. Multò minus de capite quodam totius Ecclesiæ visibili, quale Pontificem suum esse jactant Pontificii. Atque ita uterque locus non probat probandum. *Tertius* verò, quem Bellarminus adducit ex Malach. II. 7. 8. plus non evincit, quam quod Sacerdotum officium fuerit, explicare legem, id quod hodiernum ad Ministros Ecclesiæ spectat in genere. Quæ vero sequuntur, nos quidem facile permittimus, ad Ecclesiam Romanam ejusque Antistites applicari: *Vos autem recessistis de viâ, & scandalisastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus Exercituum.*



SIMON

SIMON EPISCOPIUS

quem supra pag. 4. allegavimus,
INSTITUT. THEOL. L. III. C. VII.
 Tractationi proluxæ de singulis Libris V. T.

Canonicis sequentia subjungit,
 Quæ sententiam nostram de CANONE Scripturæ S. egregie
 confirmant, & propterea digna nobis visa
 sunt, quæ heic subnectantur.

Atque hi sunt libri isti omnes, quos certum atque indubitatum est, apud omnes, tum Judæos, tum Christianos, esse libros Veteris Testamenti Canonicos, id est in Canone fidei registro divinorum scriptorum comprehensos, ex quo fidei vitæque temporibus Veteris Testamenti necessaria infallibilis regula peti potest ac debet. Cæteri alii omnes Apocryphi sunt, quia in Canone sive registro illo nunquam fuerunt reperti aut positi ab Hebræis priscisque Christianis: Etsi postliminio à quibusdam, autoritate imprimis Romani Episcopi, in eum fuerunt cooptati & adscripti, ingratis omnibus doctioribus melioribusque ac prisci moris retinentissimis Viris; Inprimis in Concilio nupero Tridentino, quod celebratum fuit Anno demum Christi MDXLV. usque ad annum LXIII. in quo in canonem hunc adsciti fuerunt, Sess. IV. Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, sive liber Jesus Syrach, duo Machabæorum libri, primus & secundus, Baruch, cum partibus & supplementis Estheræ & Danielis, uti ex fine canonis liquet, & quidem quia præverant, uti ajunt, Concilium non modo Florentinum, habitum Anno Christi M. CDXXXVIII. & XXXIX. seculo scilicet ante, & quod excurrit: sed etiam provinciale Cathaginense III. canone XLVII. quod celebratum est, Anno Christi CCCXCVII. cui interfuit Augustinus, qui & eidem Canoni subscripsit, quodque in Concilio generali in Trullo celebrato

lebrato confirmatum esse ajunt. Sed verò, quam hæc sint le-
via atque infirma argumenta pro antiquissimorum librorum
istorum Canonicâ autoritate, primâ statim fronte apparet.
Priora enim duo Concilia recentia prorsus sunt ac novitia, in-
finitisque exceptionibus & nullitatibus obnoxia. Carthagen-
se verò etsi antiquum videri potest, non tamen est ex anti-
quioribus, & provinciale duntaxat, & quod caput rei est, Ca-
nonem istum non habet. Iste enim Canon editus est nonnullis
post annis, jam tempore Bonifacii, ut ex ipso Canone constat.
Sed esto: Canon iste ibi fuerit; quid tum? Concilium istud
non fuit œcumenicum: Nec refert, quod in generali sive Œcu-
menico sexto Concilio Constantinopolitano, in Trullo habi-
to, & ab Episcopo Romano approbatum sit; Cum in eodem
Laodicenum etiam provinciale Concilium, celebratum Anno
Christi CCCLXIV. triginta & tribus annis ante Concilium
Cathaginense, approbatum sit, in quo tamen, Canone LIX.
libri isti à Canone excluduntur. Quare de hisce sic statuen-
dum arbitror.

Longè admodum ac multum præponderare argumenta
sive testimonia ista, quæ libros istos, vel omnes simul, vel
plurimos saltem eorum in Canonem non referunt, imò ab eo
excludunt, quam quæ eos inter Canonicos recensent. Quod
ut pateat, brevem eorum *Synopsin* oculis subjiciam.

Ac primo quidem certum est, libros hos ab Ecclesiâ sive
Synagogâ *Judaicâ* nunquam in Canone censitos fuisse, tam an-
te Christi tempora, (nec enim exstant in paraphrasi Chaldaicâ)
quam post Christi tempora in hunc usque diem. JOSEPHUS
Lib. I. contra Appionem, disertè adferit, nonnisi duos & vi-
ginti esse libros, quorum fides justè admittitur. *Ruth* compre-
hendit ille sub libro Judicum, & *Threnos* Jeremiæ sub Jeremiâ.

Quod attinet ad Ecclesias *Christianas*, earum judicium cum
Hebræo-

Hebræorum iudicio ferè semper convenit, sive Orientales videantur, sive Occidentales.

ORIENTALIUM Ecclesiarum iudicium ex his apparet.

1. Ex *Asiâ minore*, quæ in *Concilio Laodicensi* solos illos numerat, & cæteros Apocryphos legi vetat.
2. Ex *Sardicensi*, cujus Episcopus fuit MELITO, qui floruit sub M. Aurelio, anno Domini CL. & quem Tertullianus ut prophetam à Christianis habitum fuisse ait. Is in Epistolâ suâ ad Onesimum, quæ extat apud Eusebium, lib. 4. cap. 25. non recenset alios. Sapientiam quidem videtur etiam inserere: Sed variat lectio. Sunt enim qui legunt, pro ἡ σοφία, ἡ καὶ σοφία, quasi epitheton & elogium τῶν σοφῶν περιουσιῶν, quibus subjicitur: ut Rufinus; alii pro ἡ cum spiritu seu pronomine qua, legunt ἡ, id est, aut, vel, & sic Eusebius, lib. 4. cap. 21. in fine.
3. Ex *Cæsareensi*, cujus, uti totius Palestinæ metropolitanus fuit EUSEBIUS Pamphili, floruitque anno Christi CCCXX. Is lib. 4. Histor. Ecclesiasticæ cap. 25. non obscure Melitonis canonem probat, tanquam ὁμολογημένων τῆς παλαιᾶς Διαθήκης γραφῶν, quem isto loco recensere necessarium dicit fuisse.
4. Ex *Hierosolymitana*, cui Episcopus præfuit CYRILLUS anno Christi CCCLXV. Is in Catechesi illuminatorum quarta, nonnisi viginti duos libros Canonicos Vet. Test. esse ait, eosque diligenter legi jubet, additque, nihil apocryphum legas.
5. Ex *Cypria*, cujus urbs præcipua fuit Salamis, cujus Episcopus fuit EPIPHANIUS, anno Christi CCCLXX. Is alibi & bis in libro de mensuris & ponderibus, exerte non nisi viginti duos Canonicos libros recenset. Concludit enim enumerationem suam his verbis, ἐπληρώθησαν ἐν αἰεῖκοσι δύο βιβλοὶ: quamquam iis Baruch inferitur.

6. Ex *Lycœonica*, cujus metropolis Iconium, ejusque Episcopus AMPHILOCHIUS, qui vixit anno Domini CCCLXXX. Is solos Hebræorum censet in canone. Tantum de Esther monuit à quibusdam addi, *τάτοις προσεγράψεναι τὴν ἐσθή Ἰνες*, forte additamenta intelligit.
7. Ex *Cappadocica*, cujus urbs Nazianzum: ejus Episcopus GREGORIUS NAZIANZENUS, anno Christi CCCLXX. canonicam Hebræum carmine Græco expressit: cum initio unumquemque hortatur ad eos libros evolvendos, tum linguâ, tum mente, cavendos verò Apocryphos. Conclusio ita habet:

*Ἀρχαίαις ἰδίᾳ ἔθικα δύο καὶ ἑκοσι βιβλῆς,
Τόις τῶν ἑβραίων γραμμασιῶν ἀντίθετα.*

8. Ex *Constantinopolitanâ*, in quâ Prælati Monachorum JOHANNES DAMASCENUS anno Christi DCCLXXX. *lib. 4. cap. 18. orthodoxæ Fidei*, non alios in Canone censet quam XXII.
9. Totius Ecclesiæ Orientalis, congregatæ in sextâ Synodo Constantinopolitanâ in Trullo, judicium, merito horum omnium Patrum judicia confirmat. In ea approbati & constabiles sunt Canones Concilii Laodicensis, cujus antea mentio facta est, cujus canon LIX. sic habet: *Non oportet libros, qui sunt extra Canonem, legere, nisi solos Canonicos veteris & novi Testamenti. Quæ autem oporteat legi & in auctoritatem recipi, hæc sunt.* Et deinde Canonem Hebræum recenset.

His adjungatur judicium AFRICANARUM Ecclesiarum.

I. *Ægyptiaca*, cujus Catechistes fuit ORIGENES anno Christi CCXXVI. Is in Commentario suo in I. Psalmum, ut refert Eusebius lib. 6. *Histor. Ecclesiast. cap. 19.* Scripturarum Veteris Testamenti enumerationem facit his verbis:

ὅσα ἀγνωστότερον δὲ εἶναι πρὸς ἐνδιαθήκας βιβλίας, ὡς Ἰβραῖοι καὶ
 διδοῦσι, δύο καὶ εἰκοσιν, ὅσων ὁ ἀριθμὸς τῶν παρ' αὐτοῖς σοιχείων
 ἐστίν. Tum infert numerum & nomina sigillatim, Græ-
 cè & Hebraicè.

2. *Alexandrina*, cujus Episcopus ATHANASIUS Synopsis scripsit, in quâ totidem volumina in Canonem redacta esse ait, eaque nominatim recenset. Inter ea autem, quæ vocat ἡ κανονζόμενα μὲν, ἀναγνωσόμενα δὲ μόνον τοῖς κατηχημένοις, refert Sapientiam Salomonis, Sapientiam Jesu Filii Sirach, Esther (græca intelligit additamenta, quæ in Hebræo non sunt) Judith, Tobit. Machabæos verò nullo profusus loco, quasi non novisset.

OCCIDENTALIUŦ Ecclesiarum judicium ex his liquet.

1. *Aquitanica*, cui præfuit Episcopus HILARIUS Pictaviensis, Anno Domini CCCL. in prologo in Psalmos.
2. *Romane* Ecclesiæ, cujus Presbyter fuit HIERONYMUS Stridonensis Dalmata, Anno Christi CCCXC. Præfat. in libros Salomonis, in Prologo Galeato, in Epistolâ ad Paulinum, & alibi.
3. *Aquilejensis*, ejus Presbyter fuit RUFFINUS, Anno Christi CCCXC. in expositione Symboli, quæ extat inter opera Cypriani.
4. *BrixienŦis*, cujus Episcopus fuit PHILASTRIUS Anno Christi CCCLXXX. in catalogo hæresium cap. LXXXVIII.
5. *Romana* Ecclesiæ, in qua Episcopus fuit GREGORIUS MAGNUS Anno Christi DC. in moralibus in Jobum, lit. XIX. cap. VIII. Hunc secuti Hugo Cardinalis. Hos Antoninus Episcopus Florentinus, Thomas, Cardinalis Cajetanus, Autor Catholici, Pagninus.
6. *Germanica*, in quâ fuit RADULPHUS Flaviacensis Anno Domini DCCCCLXXX. Præfatione in Comment. in Levit. lib. 14.

Dio-

DIONYSIUS Carthusianus, prologo in Ecclesiasten, Tobiam, & Comment. in I. cap. Machab.

JOANNES FERUS Moguntinus in examine ordinandorum.

NICOLAUS LYRANUS (quem alii Brabantum, alii Anglum esse contendunt) in Præfat. expos. in Tobiam, & prologo primo in Biblia sacra.

RICHARDUS à S. VICTORE exceptionum lib. 2. cap. 9. *Sixtus Senensis, Driedo*, de Script. & Dog. Eccles. lib. I. cap. ult.

7. *Gallica*, in qua HILARIUS, de quo supra: & post illum Doctores Galliarum, ut patet ex epistolâ alterius Hilarii Arelatensis, qui vixit Anno Christi DXLV. præfixâ opusculo de prædest. Sanctorum.

Robertus Stephanus in editione Parisiensi.

8. *Anglica*, in qua BEDA, de sex ætatibus mundi. Is fuit coætaneus Joan. Damasceni, Anno Domini, DCCXXXI.

Guilielmus OCCAM Scoti discipulus, Anno Domini M. CCC. XX. in Dialogis, parte I. tract. I. lib. III. cap. XVI.

9. *Hispanica*, in qua sic sensit F. XIMENIUS Archiepiscopus Toletanus, in Præfatione Bibliorum Complutensium.

Harum certè tot Ecclesiarum, aut Episcoporum Doctorumque omni exceptione majorum testimonia ac judicia, totidem sunt præjudicia pro Canonicorum istorum, quos recensuimus, autoritate ac numero: quibus quæ opponuntur alia, longè sunt non modo pauciora, sed aded levidentia, ut pene nulla ac nihili videri debeant.

Addo tamen CORONIDIS loco. Etsi in hâc re longe superior est causâ nostra, nullam tamen fatis gravem causam me videre, cur acriter de numero Canonicorum librorum cum Pontificiis digladiemur, & Apocryphos, quos illi in Canonem referre volunt, usque ad eo aversemur: Quasi fides ac Religio Christiana proptereâ vacillatura sit, si illi in canonem admittantur. Etsi enim non nego esse in iis quædam, quæ vel manifeste

nifestam contradictionem, vel falsitatem vel absurditatem quamdam præ se ferunt, & difficulter aut cum iis, quos Canonicos esse utrinque in confesso est, conciliari, aut cum historiae veritate, aut cum recta ratione in gratiam reduci possint; tamen non modo nulla esse in iis credo, per quæ dogmatis alicujus ad salutem necessarii veritas labefactari possit, sed & non pauciora esse in iis mihi persuadeo, quæ convellendis Pontificiorum erroribus faciunt, quam quæ iis aut fulciendis aut stabiliendis servire possunt. *Hactenus EPISCOPIUS.*

Nos verò existimamus, has ipsas causas modò adductas sat graves esse, cur libros istos Apocryphos non profusius quidem aversemur ac rejiciamus, sed tamen in Canonem eosdem recipi & verè Canonicis æquiparari non potiamur.



Uing. VI. 2^o

= [Dissertationes
theol. ^{Vol.} 49.]

ULB Halle

3

004 917 588





2. D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA.

^{Qua}
PRÆCIPUI
PONTIFICIORUM ERRORES
circà doctrinam
DE
CRIPTURA SACRA,

ως ἐν συνόψει
ob oculos sistuntur, strictimque refutantur.
DEO clementer adjuvante,

PRÆSIDE
GODOFREDO HOFFMANNO,
SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. Ordin.

Ducalis Stipendii Theologici Superattendente, &
Ecclesiæ Tubingensis Decano,
Publicæ ventilationi exposita
Die 20. & 21. Febr. MDCCXXII.

RESPONDENTIBUS
M. THEOPH. FRIDERICO ROESLER, *Stuttgard.*
M. JO. PHILIPPO BRAUCH, *Aschensf.*
M. GEORG. FRIDERICO HOPFER, *Nicro-Aldingensf.*
SS. Theol. Stud. & Serenissimi Stipendiariis.

TUBINGÆ,
Literis JOSEPHI SIGMUNDI.

